

II.

*Constitutio MATTHIAE Imp., ex quo genere
sit, disquiritur.*

Recitata legis nostrae formula antiqua et authentica, sequitur, ut videamus, idque primo loco, cui constitutionum generi haec ipsa lex adnumeranda videatur. De qua re, tantum abest, ut viri docti consentiant, ut in varias trahantur partes, tum, qui huius legis in libris, a se propositis, tum, qui coram magistratu in actionibus forensibus mentionem fecerunt. Quemadmodum enim, ut P. MÜLLERI errorem, nostram legem speciale statutum, hexapolitanis commune, appellantis, praeteream, non desunt, qui CIRRI. PHIL. RICHTERVM ducem insequuti, hanc constitutionem generalem dicant, quippe edictalem, non Gorlicensibus solum, sed universo regno Bohemiae datam, ita reperiuntur, quibus ea vel privilegii, vel decisionis, vel rescripti simplicis naturam habere videatur. Iam, ut primum nonnihil de opinione RICHTERI et, qui eum se-